Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Bedae expositio in actus apostolorum - Cod. Aug. perg. 153

Beda <Venerabilis>

[Reichenau ?], [9. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42055

Visual Library

scripserunt marcus et lucas. quos non solum ab ecclesia christi. uerum etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus apostolis
probari potuerunt; Nam domini uirtute gerebantur. ut non solum apostoli qui uiderant. sed et discipuli qui audita didicerant.
facta christi dictaque conscriberent; Quatenus sequentibus ecclesie doctoribus. ea que non uiderant predicandi scriben
dique fiducia pariter et auctoritas preberetur; Actus uero apostolorum et precipue beati pauli cuius indiuidu
us in peregrinando comes extitit beatus lucas sicut uiderat ipse conposuit. quorum omnis textus quantum
ex aliorum istoriis animaduertere potuimus continet annos xxviii. id est tiberii cesaris annos sex. gagi
annos quatuor. claudii annos quatuordecim. cuius principiis petrus apostolus romam uenit. et
quarto anno fames facta. octauo anno sunt iudei romam expulsi; Item neronis annos quatuor.
Quorum duos extremos beatus paulus rome libera mansit custodia. Ex quo intellegimus in eadem urbe
librum esse conpositum; Itemque ut iudeorum quoque reges eadem tempora discernat. herodes. philippus.
et lisanias tetrarche prefuerunt annis sex. Herodes rex qui et agrippa qui cesaree periit annis vii.
Agrippa filius eius sub quo paulus romam missus est annis quindecim. cuius restant usque ad subuersionem
hierosolimorum anni duodecim; Hec diligentius executus sum ut cum eiusdem libelli reuoluas istoriam.
quid sub quo tempore gestum sit euidenter agnoscere possis. Misi autem et explanatiunculam epistole
beatissimi euangeliste iohannis cuius maximam partem ex omeliis sancti augustini latissima suauita
te diffusis conpendiosius breuiatam excerpsi. Nonnulla uero in calce etiam proprio sudore subtexui
in quo utroque opere siquid utilitatis inueneris diuinis donis adscribe. siquid superflui mee fragilitati
conpatere intercedentem pro nobis beatitudinem tuam dominus omnipotens ad regimen ecclesie perpetuo con iu
uat incolomem.

Primum quidem sermonem feci de omnibus. O theophile. que cepit ihesus facere et
docere; De omnibus se dicit christi factis et dictis in euangelio scripsisse. Non quod
omnia conprehendere potuerit. ne sit contrarius iohanni qui ait. Multa quidem
et alia signa fecit ihesus in conspectu discipulorum suorum. que non sunt scripta in li
bro hoc. Sed quod de omnibus elegerit unde faceret sermonem. que iudicauit
apta et congrua. sufficere officio dispensationis sue. Theophilus inter
pretatur dei amator. uel a deo amatus. Quicumque ergo dei amator est. ad se scriptum
credat. sue hic anime. quia lucas medicus scripsit. inueniat salutem. Et notandum quod ait.
Que coepit ihesus facere et docere. primo facere. postea docere. Quia ihesus bonum doctorem instituens.
nulla nisi que docuit fecit. Usque in diem qua precipiens apostolis per spiritum sanctum. quos elegit adsump
tus est. Per hiperbaton legendum. usque in diem quo adsumptus est. precipiens ante adsumptionem id est.
precepta dans apostolis. que et hic et in euangeliis leguntur. Est ergo sensus. scripsi de ihesu a tempo
re quo coepit signa facere et docere. usque in diem qua eisdem consummatis unde uenerat rediit.
Per dies xl. apparens eis et loquens de regno dei. et conuescens. Ad instruendam dominus fidem sue resurrectionis.
sepius apostolis post passionem suam uiuus apparuit. cibos sumit. eandemque quam a mortuis suscitauerat pal
pandam carnem exhibuit. Sed altiori misterio per hanc .xl. dierum cum discipulis conuersationem

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg